

mirabilia hodie: ostende iniquis hostibus nostris, solum Regem esse, et Dominum tuum Filium, et Deum, et te proprie Dei Matrem, quae verum Deum secundum carnem genuisti, et te posse omnia, et omnia efficere potentem esse quaecumque vis in coelo, et in terra. Concede omnibus quaecumque petunt, unicuique conducibilia, Domina, aegrotis sanitatem, navigantibus tranquillitatem, et regimen, iter agentes comitando, ac custodiendo, captivos a servitute acerba redimendo, moerore affectos consolando; paupertatem, * omnemque ^{*252} aliam aerumnam allevando; ab animae morbis, pravisque affectiōnibus liberando universos tuis invisibilibus patrocinii, atque adhortationibus, ut viam temporalis huius vitae bene ac sine offensione conficientes, illa etiam aeterna bona, per te, in regno celorum consequamur: reges vero nostros fideles, terribili nomine Unigeniti Filii tui honoratos, confidentesque tuo patrocinio, et gratia, ac te omni in re mediatricem, ac protectricem praetendentes; contra hostes invisibiliter aggredientes roborato, dissipata animis eorum incumbentem nubem tristitiae, eripe a labore animas ipsorum, et splendidam tranquillitatem, laetitiamque introducito: pacificam, ac seditione liberam potentiam, et Regnum ipsis comparando. Libera, Domina, tuis precibus gregem hunc peculiari modo in te confidentem, et totam urbem, et regionem a fame, terraemotu, alluvione, igne, gladio, incursione barbarorum, et bello civili, omnemque iram contra nos commotam iuste, averte beneplacito, et gratia unigeniti Filii, et Dei tui, cui convenit omnis gloria, honor, atque adoratio cum Patre ipsis sine principio, et coaeterno, et vivificantie eius Spiritu, nunc, et semper et in saecula saeculorum.

THRENI, ID EST, LAMENTATIONES GLORIOSISSIMAE
VIRGINIS MATRIS MARIAE, SUPER PASSIONE DOMINI

349 [...] Mortem atque interitum tua morte protrivisti ac conculcasti: ut gaudium maius mihi humili Matri tuae affulgeat, mecumque laetentur cuneti dilecti tui: erubescant autem, et confundantur quicumque tui inimici.

Sed te, iam nos, o pura et immaculata, eademque benedicta Virgo, magni Filii tui, universorumque Dei mater inculpata, integra, et sacrosanctissima, desperantium atque reorum spes, collaudamus. Tibi, ut gratia plenissimae benedicimus, quae Christum genuisti Deum et hominem: omnes tibi procidimus: omnes te invocamus, et auxilium tuum imploramus. Eripe nos, o Virgo sancta, atque intemerata, a quacumque necessitate ingruente, et a cunctis tenta-

OG
III, 575

tionibus diaboli. Nostra conciliatrix, et advocata in hora mortis, atque iudicii esto: nosque a futuro inextinguibili igne, et tenebris exterioribus libera: et Filii tui nos gloria dignare, o Virgo, et mater dulcissima, ac clementissima. Tu siquidem unica apud Deum Christianorum spes nostra es securissima, et sanctissima. Cui gloria et honor, decus atque imperium, in sempiterna saecula saeculorum.

SERMO DE SS. DEI GENITRICIS VIRGINIS MARIAE LAUDIBUS

^{OG}
^{III} ⁵⁷⁵ Inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo Dei genitrix 350
Maria, Regina omnium, spes desperantium, Domina nostra glorio-
sissima, eademque optima, ac praecellentissima: sublimior caeliti-
bus, candidior solis radiis atque fulgoribus: honoratior Cherubim,
et multis oculis claris spiritibus perspicacior. Sanctior Seraphim, et
incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior.
Unica spes Patrum, gloria Prophetarum, praeconium Apostolorum,
honor Martyrum, laetitia Sanctorum, et lumen probatissimorum
Abraham, Isaac, et Iacob: decus Aaron, splendor Moysis, et Ge-
deonis vellus: coetus Hierarcharum, omniumque Sanctorum, ac Vir-
ginum corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa.
Thuribulum aureum, lucerna clarissima, urna pulcherrima caeli
manna gestans: tabula scriptam legem mortalibus afferens, arca
vera, charta divinissima, princeps omnium prudentissima ac saga-
cissima, et lucifera virgo: consolatrix sanctissima, et dux univer-
sorum, sacratissima puella. O rube ardens incombuste, et praedium
patens, viridansque Aarons virga. Virga enim vere extitisti: et flos,
Filius tuus. E radice quippe David, ac Salomonis germinavit Chri-
stus creator noster, Deus et Dominus omnipotens, ac solus altissi-
mus. Tu Deum genuisti et hominem, Virgo ante partum, virgo in
partu, et virgo post partum. Claves illas portae orientalis semper
clausae non excussit Deus creator tuus, in virginali tuo utero sine
semine carnem indutus; teque, o clarissima, talem praeservans, qua-
lis ante partum fueras. Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro,
Filio tuo dulcissimo. Tu peccatorum, et auxilio destitutorum unica
advocata es, atque adiutrix. Tu portus naufragantium tutissimus:
tu mundi solatium. Tu orphanorum susceptio: tu captivorum red-
emptio atque liberatio: tu aegrotantium exultatio, moestorumque
consolatio, * et omnium salus. Tu monachorum ac solitiorum sta-
bilimentum, et spes saecularium. Tu virginum gloria, corona, ac gau-
dium. Tu mundi laetitia, o Domina princeps, atque regina praestan-
tissima, et perquam benedicta, puella honoratissima, et dominarum
domina purissima atque castissima. Sub tuum praesidium confugi-

^{*576}

mus, o sancta Dei genitrix; sub alis pietatis atque misericordiae tuae, protege et custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurgati sumus: qui sceleribus atque delictis quamplurimis creatorem Deum nostrum, et iudicem universorum offendimus: ne adversus nos insolescat, ac glorietur Satanus perniciosissimus: ne in nos insurgat detestandus inimicus noster: ne servos tuos a tui spe excidere cognoscamus; neve calumnietur nos detrectantium lingua. Non nobis est alia, quam in te fiducia, o virgo sincerissima. Ex ulnis siquidem maternis tibi, Domina nostra, dediti sumus miseri, tuique clientes appellati: ne igitur a maligno Satana ad inferni portas abduci nos sinas. Tu enim noster es portus, o Virgo intemperata, et praeses pia auxiliatrix. Sub tua denique tutela, et protectione tuti sumus: quare ad te unicum confugimus, crebrisque te lacrymis, o beatissima mater, imploramus, tibique procidimus suppliciter clamantes ac deprecantes, ne dulcis Filius tuus Salvator noster et vitae omnium dator, ob plurima quae commisimus sceleram, e medio tollat nos, miserabilesque animas nostras instar leonis diripiatur; aut sicut sicum sterilem, nos excidat. Caeterum obsecramus, ut ad Christum securi pervenire possimus, aulasque illas beatorum subire, ubi non sunt lacrymae, neque luctus, non vexatio, non molestia, non calamitas, non mors, non cruciatus, non locorum angustiae: sed laetitia inexhausta, voluptas iustorum maxima, deliciae infinitae, exultatio et iubilatio, gloria et splendor. Reple deinceps os meum gratia dulcedinis tuae, o Domina: et illumina mihi mentem, o gratia plena, move linguam meam, et labia, ad laudes tibi alacriter, laetoque animo decantandas, et praesertim dulce illud melos angelicum longe celebratissimum, quod angelus Gabriel in Nazareth, servili habitu ad te Virginem, matremque Dei mei integrerrimam, clamans cecinit: salutationem, inquam, maxime congruentem atque decentem, et dignissimam mundi salutem, cunctarumque animarum medelam atque tutelam. Dignare me servum tuum humilem laudare te, Virgo sacrata, ac suaviter dicere: Ave praeclarum, et electum vas Dei. Ave domina Maria, gratia plena. Ave inter mulieres, virgo beatissima. Ave stella fulgidissima, ex qua Christus processit. Ave lux splendidissima, mater et virgo. Ave, quae admirabiliter Regem omnium peperisti. Ave, per quam clarissimus Sol iustitiae nobis illuxit. Ave Regina, ac Domina cunctis sublimior. Ave canticum Cherubim ac Seraphim, et hymnodia Angelorum. Ave pax, gaudium, consolatio, et salus mundi. Ave humani generis laetitia. Ave Patrum praeconium, et decus Propterarum. Ave pulchritudo Martyrum, et Sanctorum corona. Ave piorum gloria, et laus in solitudine degentium. Ave praeclarissimum

coelestis hierarchiae ornamentum. Ave pulchra hymnographorum omnium oratio. Ave praestantissimum universi orbis terrae miraculum. Ave terrigenarum omnium oblectamentum. Ave paradise deliciarum, totiusque amoenitatis et immortalitatis. Ave lignum vitae, gaudium, et voluptas. Ave lily convallium, et vallis fidelium, mundique salus. Ave portus tranquillissime, et a fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. Ave periclitantium opitulatrix. Ave progenitoris illius Adam resurrectio. Ave iucunda libertas. Ave omnium parens. Ave fons gratiae, et totius consolationis. Ave peccatorum refugium, atque diversorium. Ave laborantium propitiatorium. Ave profugum in Hierosolymis. Ave throno creatoris nostri gloriosissime. Ave aevi splendor illustrissime, ac fulgentissime. Ave spes omnium proborum, rebus adversis afflitorum. Ave dulce conversorum solamen, atque praesidium. Ave virorum pariter atque mulierum regina et patrona. Ave Dei et hominum mediatrix optima. Ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima. Ave domina nostra, foedus pacemque fidelibus tuis impetrans, et sceptrum cunctis imperans. Ave gloria, et laetitia omnium sacerdotum. Ave virgo, solitariorum solatum. Ave regina supernorum civium, et domina Angelorum. Ave porta coelorum, et scala, ascensusque omnium. Ave portarum coelestis Paradisi reseveramentum. Ave nostra consolatrix: quae moerores sedasti, et oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti. Ave clavis regni coelestis. Ave portus tutissime, in hac vita navigantium. Ave animae nostrae spes fida, et optima. Ave firma salus universorum Christianorum, ad te sincere ac vere recurrentium. Ave lumen lucidissimum, quo mundus illustratur. Ave mater alma Christi Filii Dei vivi. Ave nostra omnium protectio insignis, et gloria. Ave, quae nullo spatio comprehensum, tuo sinu ac ulnis comprehendisti. Ave, quae Christum, vitae datorem educasti: Christum inquam, misericordissimum omnium creatorem, dulcissimum Dominum, nostrum Iesum, educatorem atque altorem totius mundi, benignissimum humani generis *amatorem, et Patrem cunctorum omnipotentem: Cui convenit omnis honor, gloria, decus, et potentia in perpetuum; laus et iubilatio, atque magnificentia, una cum aeterno Patre, et Sancto Spiritu: nunc et semper, et in infinita saecula saeculorum. Amen.

*577

Precibus et meritis Sanctissimae Dei genitricis Mariae semper Virginis, exercituumque omnium coelestium, et universi coetus Angelorum, Chribim et Seraphim, Prophetarum et Apostolorum, Martyrum et Confessorum, Sanctorumque omnium intercessionibus, miserere tuae creaturae, mi Deus clementissime: et a dextris tuis

in hora tremendi iudicii, humiles servos tuos colloca. Neque, o Domine, vitae auctor ac dator, ad opera nostra mala, quae, legem tuam transgrediendo, commisimus, aspexeris: sed potius ad immensam clementiam, et pietatem, atque misericordiam tuam benigne respicias, obsecro, nostrique miserearis.

AD SS. DEI GENITRICEM ORATIO

351 Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica atque ^{OG} III, 577 ab omni sorde ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, ac Domina nostra: quae Deum et hominem mundo mirifica ac gloriosa conceptione tua peperisti, Deumque Verbum hominibus miro modo conciliasti; et rebellem humani nostri generis naturam coelestibus consociasti: unica spes desperantium, oppressorum auxilium, et ad te recurrentium praesentaneum sublevamen, omniumque denique Christianorum firmum praesidium: me maximum peccatorem, enoribusque meis cogitationibus, verbis, ac factis effectum vilissimum, atque adeo fallaces voluptatum illecebras animo plane servili atque abiecto amplexatum, ne averseris, obsecro: quin potius, sicut mitissimi ac clementissimi Dei mater es, ita me peccatorem benignissime suscipe, et meam sordidissimam, impurisque labiis meis expressam orationem clementer admitte: nec non dulcem quidem Filium tuum, meum autem Dominum ac Deum maternis pietatis tuae visceribus amanter libenterque exora: ut ipse mihi quoque illa inexhaustae misericordiae suae viscera reserare dignetur: et postpositis innumerabilibus peccatis meis, ad salutarem me poenitentiam convertat, suaque me rectius complere mandata faciat. Adesto mihi nunc, et semper, o Virgo Dei genitrix, mater misericordiae, benigna et clemens, in praesenti quidem vitae cursu fervens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus a me avertens, et in via salutis me constituens; ac in extremo vitae articulo miseram meam animam conservans, et tenebrosos atque horrendos pessimorum daemonum aspectus ab ea procul repellens: in tremendo autem die iudicii, ab aeterna me damnatione liberans: et postremo, in numerum iustorum me referens; atque inaccessae tui Filii et Dei gloriae me haeredem efficiens. Quod utinam, per piam intercessionem tuam atque patrocinium, Domina mea, sanctissima Dei mater, mihi, et omnibus humiliter ad te recurrentibus, et spem totam in te figentibus post hoc exilium concedatur, gratia, miserazione, et benignitate unigeniti tui Filii, Domini et Dei, ac Salvatoris nostri Iesu Christi: Quem decet omnis gloria, honor, potentia, et adoratio, cum

aeterno eius Patre, et Sancto ac vivifico Spiritu: nunc et semper,
et in aeterna saecula saeculorum.

HYMNI ET SERMONES

- | | | |
|-------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| ^{La}
^{I,} 154 | Sermo de Domino nostro, 3. [...] Heva, mater omnium viven-
tium fons mortis effecta est omnibus viventibus. Floruit autem
Maria, nova vitis prae vite antiqua Heva, habitavitque in ea Vita
* nova Christus, ut Morte pascente et accedente confidenter pro
more, ei in fructu mortali occultaretur, vita mortis destructiva. | 352 |
| [*]
¹⁵⁶ | | |
| ^{La}
^{I,} 478 | Sermo VI in Hebdomada Sancta, 9. [...] Humana nostra natura
gratias agat enti spirituali quod corpus induit et confiteatur illum
non duos sed unum esse ex Patre et ex Maria: qui in duos eum di-
vidit non gaudebit cum eo in Eden et qui Patrem cum Filio con-
fundit ab Ecclesia recedit. | 353 |
| ^{La}
^{I,} 660 | Hymni de Crucifixione, III, 9. O beate loce! Tua angustia uni-
verso mundo opponi potest; quod in te continetur, quamquamvis
parvum sit, totum mundum replet. Beatum habitaculum tuum, in
quo manu benedicta fractus est panis! In te acinus e Maria ortus
in calice salutis compressus est. | 354 |
| ^{La}
^{II,} 436 | Hymni de Nativitate Christi in carne, I, 13. Quis non obstu-
pescat videns Mariam, Davidis filiam, servato virginitatis signaculo,
infantem portantem? Diva virgo reponit eum in sinu suo et exulta-
ns cantilenas ei decantat. Angeli iubilant; seraphim ter sanctum
proclamant; magi munera grata offerunt filio nato. | 355 |
| ^{La}
^{II,} 440 | 22. Unigenitus ingressus est uterum et nihil passa est casta
virgo. Illapsus est in uterum et exivit in puerperio; sensit natum
pulcherrima virgo. Invisibili gloria circumdatus occultus fuit in
ingressu, vilis vero et manifestus in egressu, quia Deus erat in in-
gressu et homo in egressu. Res auditu mira et intellectum impervia;
ignis ingressus est uterum, corpus induit et exivit. | 356 |
| ^{La}
^{II,} 456 | II, 31. [...] Conculecavit pes Mariae eum qui calce percutserat | 357 |
| [*]
⁴⁵⁸ | * Hevam. Benedictus qui sua nativitate prostravit eum. | |
| ^{La}
^{II,} 464 | III, 4. Gloria illi qui factus est infimus quum sit natura sum-
mus. Amore suo factus est Mariae unigenitus qui est deitatis Uni-
genitus. Nomine proles factus est Iosephi, quum proles sit Altissimi. | 358 |
| ^{La}
^{II,} 468 | 11. Sinus Mariae obstupefecit me quod sufficerit tibi, Domine,
et te complexus fuerit. Angustior erat tota creatio ut involveret | 359 |

- OG III, 137, 248, 394, 410, 412, 421, 422, 465, 516, 574, 601, 602,
603, 604, 609.
- La I, 16, 18, 76, 130, 132, 136, 138, 140, 142, 144, 152, 442, 534.

amplitudinem tuam. Terra et coelum nimis exigua erant ut iis velenuti duabus alis tua divinitas tegeretur. Angustior pro te erat sinus terrae et latior fuit sinus Mariae. Habitavit in sinu Mariae et in sinu eius sanavit (homines).

360 V, 15. O mulier quam vir non cognovit, quomodo aspicere possumus filium quem peperisti? La II, 492

361 VII, 8. *Ecce virgo concipiet et pariet,*¹ absque coniugio. Somnium mihi videtur, aut visum semisomnis, ecce super genua mea Emmanuel (nobiscum est Deus); cessabo ab omnibus et omnium Dominum omnibus diebus celebrabo.

9. Et quia in Sion virgines vitiaverant (Assyrii), magi matrem tuam honorarunt, o puer virgo, qui virginalia matris tuae induisti et, ipsis integris exivisti, tu mihi es infans, et sponsus et filius et Deus.

362 IX. [...] Altus ex altissimis ad humillima se demisit ut humiliaret superbiam, quae Adamum a sublimitate sua disiecerat. Per aurem Mariae vidit absconditum qui in voce venit. Concepta est in utero eius virtus quae venit ad corpus. Mors requisivit sanguinem eius bonum. La II, 516

HYMNI DE BEATA MARIA²

363 I, 1. Virgo invitavit me ut canerem eius mysterium quod cum admiratione contempnor. O fili Dei, da mihi mirabile tuum donum, ut ditem eitharam meam et formosissimam genitricis tuae effigiem depingam. La II, 520

2. Foetus in utero eius absque hominis commercio, o magnum prodigium! Lac in uberibus contra consuetum naturae morem, integra virginalia simul cum lacte in corpore puro, o res miranda! Quis haec eloqui poterit?

3. Virgo Maria sancte peperit filium, et lac dedit nationum alitori atque in virgineis genibus sustentavit eum qui omnia sustinet. Virgo est et mater, et quidnam non est?

4. Sancta corpore, animo decora, pura mente, intellectu sincera, sensu perfectissima, casta, propositi tenax, corde munda, probata et omnibus virtutibus plena est.

364 10. Pro amaro illo fructu quem Heva ex arbore decerpserit Maria dulcem dedit hominibus fructum. Ecce totus mundus fructus Mariae delectatur.

11. Arbor vitae, in medio paradisi abscondita, in Maria crevit

¹ Isa. VII, 14.

² Dubitant viri docti de paternitate Hymnorum istorum. Sunt tamen antiqui (saec. V-VI).

et ex ea se efferens umbra sua orbem protexit fructusque diffudit super procul dissitos et propinquos.

12. Maria texuit stolam gloriae eamque dedit protoparenti. Qui inter arbores nudatus fuerat ea * indutus verecundia et virtutis pulchritudine exornatus fuit. Quem uxor prostraverat filia sustentavit; ipse ita suffultus heros surrexit.

13. Heva et serpens fossam foderunt illucque Adamum praecipitarunt, at Maria et regius infans sese opposuerunt et delapsi extraxerunt eum ex abyssō per hoc occultum mysterium, quod patefactum Adamum vivificavit.

14. Vitis virginalis uvam dedit cuius dulce vinum flentibus solamen attulit. Heva et Adam luctu afflicti gustarunt vitae pharmacum et in eo solamen invenerunt suis fletibus.

^{La}
^{II, 524} II, 1. Dono tuo sapientes proferam cantus in honorem Virginis quae per miraculum mater effecta est, Virgo est et mater. Gloria illi qui eam elegit. 365

2. In agmine castarum virginum sancte stat, et fructum matrum tranquille portat. Virgini infantem esse quis non obstupescat?

^{*526} 3. Feminis cum lacte non remanent integra virginalia, quia * ubi est lac non superst virginitas. Illud in Maria mirabile est quod virgo peperit.

4. Ager est qui nunquam novit sulcum agricolae; ex illo exsurgit manipulus benedictionis; absque semine dedit mundo fructum.

5. Navis est onerata ditissimo thesauro quae pauperibus attulit divitias coelestes. Mortui ditati sunt ab ea quae vitam portabat.

6. In Maria gloriantur omnes virgines, quia virgo est quae causa fuit bonorum. Ex illa orta est lux sedentibus in tenebris.

^{La}
^{II, 526} 7. In Maria exaltatum est inclinatum Hevae caput. Quia Maria suscepit infantem qui comprehendit aspidem, folia ignominiae absorpta sunt a gloria. 366

8. Humano generi duae datae sunt virgines: una causa fuit viuae, altera mortis. Per Hevam orta est mors et vita per Mariam.

9. Filia matrem lapsam sustentavit. Quia mater induerat folia ignominiae, filia texuit ei atque dedit stolam gloriae.

10. Femineo generi spes facta est per Mariam. Quia infecerat invidia feminarum aures et pudor vultus earum, Maria liberavit eas irreprehensibilesque effecit.

11. Exhilarantur hodie omnes uxores, quia, sicut illae, Maria fructum gestavit qui vitam largitur earum natis. Gloria missori eius.

^{*528} 12. Per Mariam orta est lux, quae dissipavit tenebras per Hevam adductas et super humanum genus offusas. Illuminatus est per Mariam orbis tenebris obsitus.

367 III, 1. Casta Maria laudet Filium qui sua misericordia ortus ^{La II, 528} est e sinu virginis purissimo absque coniugali commercio. Mater miraculo peperit filium Dei qui apparuit.

2. In hac solemnitate magna voce exclamet Maria inter turbas: «Nemo scrutetur filium meum, nemo quippe eum perscrutari valet, sed omnis inquisitio apud eum inutilis et otiosa substata, omnesque sapientes huic investigationi impares sunt».

3. Extollat purissima vocem et te, Domine, collaudet quod tuus te traxit amor ut ad nativitatem venires et habitares in sinu virginali atque ex eo exires manifeste. Benedictus es, o abscondite, qui nos visitasti.

4. Os Mariae despiciat insipientes qui seruantur tuam gloriosam nativitatem. A Maria despiciantur eruditi qui tecum disputare volunt; ipsa ad resipiscentiam adducat haesitantes quia a viro incognita peperit.

368 IV, 1. Exultate, coetus puellarum, in virgine prorsus admira- ^{La II, 530} randa. Ipsa peperit gigantem, qui vinculis strinxit rebellem angelum ne pueras seduceret.

2. Rebellis matrem vestram Hevam seduxerat, quae manducavit fructum lethalem. Soror vestra Maria evertit arborem quae mortem intulerat et dedit fructum omnes vivificantem.

3. In utero Mariae Ignis delitescit, in eius sinu prodigium magnum. Maria digitis Ignem apprehendit, in sinu solem portat; eius mysterium terret eloqui volentes.

4. Infantum plasmatorem portavit; generis humani factorem peperit; omnium alitori lac dedit. Quis poterit dicere rem plane mirandam?

5. Maria admiratione plena, anima sapiens, corpore sancta, cogitationibus pura, Flammam portabat.

* 6. Quomodo possibile fuisset ut aut admiratio transiret ab ^{*532} anima, aut stupor a mente, aut commotio a sensu, quum pariendo virgo mansisset?

7. In ulnis gestabat infantem et in corpore integra sciebat virginalia; lac in uberibus affluebat et virginitas nihil commotionis passa erat; tota die beata virgo replebatur admiratione.

8. Eius blandimenta valde discreta erant; ubi auditores aderant blandiebatur ei tanquam infanti, ubi abierant eum ut Dominum maiestati adorabant.

9. Dum infantem in sinu suo gestaret, anima eius admiratione replebatur. Gloriabatur infantem illum suum esse filium et agnoscerebat eumdem suum esse Dominum, atque ita filium simul et dominum portabat.

10. Conspiciebat gestatum natum et virginitatem servatam. Novum quod contigerat prodigium vim ei tribuebat ut intelligeret infantem quem portabat esse Deum.

11. Admiratione repleta Virgo occultum mysterium sedulo conservabat, apprime sciens quis et cuiusnam filius esset fructus benedictus quem portabat; haec autem omnia perspecta habebat.

^{La}
^{II,} 533 12. Ezechiel, transmigrationis filius, visu prophetico conspexit ³⁶⁹ virginem Davidis filiam, eiusque * virginitatis effigiem delineavit in revelationibus divinis.

13. Propheta Chaldaeae Mariae figuram depinxit eamque in libro prophetarum posuit virginisque res in Scripturis servari voluit, ut qui legit intelligat.

14. Ostendit Dominus prophetae in atriis sacris portam clausam et dixit ei: *Haec clausa erit, quia Deus ingredietur per eam.*¹

^{La}
^{II,} 534 V, 1. Virginem parturire audiunt et non credunt scriba et disputator, quia vident naturaliter fieri non posse ut virgines intactae parturiant. In Maria natura defecit atque victa fuit. Maria quippe virgo concepit et virgo peperit. Qua utique via natura incedere non valet.

^{*536} 2. Infans editus est et exivit per viam natorum. Mater eius virgo fuit: prodigo induita, fructum portavit; simul autem venter eius sigillo munitus clausus remansit. * Nova igitur via fuit qua prodigium incessit et virgini natum dedit, quod natura (absque viri commercio) foeminis non dat.

3. Virginem celebrabo gratia matrem effectam Domini omnium. Ipsa absque semine concepit, absque viro peperit, absque maritali congressu gravida fuit, inauditum plane in mundo miraculum. Filium edidit admirabilem, nec quomodo factum sit istud concipitur; docti quippe mysterio perscrutando impares sunt.

4. Puella lac, virgo natum habet. Quis non miretur gloriosam matrem ad pariendum se incurvantem, lac nato praebentem, cacterisque matribus per omnia similem? Erubescat scriba qui scrutatur divam matrem, quomodo scilicet mater effecta sit sui plasmatoris.

^{La}
^{II,} 536 5. Figurae tuae, o virgo, in arca foederis reponuntur. Prophetia depinxit effigiem tuam eamque in libris sacris reposuit pro illo qui intelligit. Isti libri per urnam novam praedicarunt te. Filius tuus sal fuit, quod condivit fontem quo revixit mundus morte sopitus.

6. Idem praefigarunt te per virgam in arca repositam, quae, etsi non plantata, fronduit, ut generationem tuam illustraret. Virga

¹ Ezech. XLIV, 2.

absque irrigatione foliis coronata fuit, ut esset figura virginis quae fructum miraculosum produxit et * dedit nobis. Huius virginis figura signata notaque est in virga levitarum. *538

7. Nec antea nec postea arbor genuit alium agnum in terra, nec alia virgo genuit absque viro. Maria et arbor unum sunt. Agnus in ramis pendebat, et Dominus noster in Golgotha. Agnus salvavit Isaac et Dominus creaturas.

8. Quando descendit in terram, non migravit e curru suo coelesti, quando habitavit in Maria, coelum ipso non carebat; quando dormiebat in navi, aliis non increpabat ventum: quando mutavit aquam in vinum, Verbum non se separavit a corpore, sed per haec ostendit se Deum omnia esse.

372 VI, 1. Adeste, coetus virginum, plaudite manibus, cantate can-
tica laudis, quia virgo peperit magnum prodigium, et in admir-
ationem coniecit socias. La
II, 538

* 2. Isaias omnes puellas advocavit virginibusque mysterium re-
velavit, virginem nempe absque congressu concepturam et sancte
prodigium paritutram. *540

3. Isaias per revelationem locutus est et trepidatio invasit vir-
gines, ut scirent quaenam et quid esset, ubi, quando, prodiret res
prodigiī plena.

4. Vox prophetae hebraeas excitavit virgines, quia nova eis ca-
nebat. « Virgo concipiet », castae puellae commoventur praenun-
tiato hoc prodigio.

5. Virginem concepturam cecinit Isaias; at non explicavit quaenam,
ubi, quando. In Maria vox prophetiae alte resonavit, quia
ex illa virgine plane mirabili oraculum innotuit.

6. Propheta suis revelationibus commovit puellas. Hinc multi-
plicatae ab eis quaestiones: quandonam novum istud opus contin-
geret, ut virgo conciperet iuxta prophetae vaticinium.

7. In Maria explicationem nanciscuntur omnia arcana in libris
prophetarum abscondita. Ortus est ex ea sol iustitiae, qui suo ortu
illuminavit omnem terram.

8. Fuit Maria vitis, e qua, ut scriptum est, ad adimplendum
* prophetiae sacramentum, progerminavit surculus Nazarenus, qui in
Nazareth nutritus est, ut omnia adimpleret. *542

9. Aquae intra velum reclusae foetus sunt in virgine reclusus
absque congressu. In Maria adimpleteae sunt omnes similitudines;
signa et oracula in ea terminum habuerunt.

373 VII, 1. Venite, sapientes, admiremur matrem virginem, Da-
vidis filiam pulcherrimam quae prodigium peperit, admiremur sca-
turigem quae produxit fontem, navem gaudiorum quae portavit La
II, 542

onus nuntiorum Patris, quae in sinu puro recepit et gestavit magnum illum creaturarum gubernatorem per quem regnavit pax in terra et in coelo.

2. Venite, admiraremur purissimam virginem, persona sua admirabilem, quae sola inter creaturas a viro incognita peperit. Admiratio plena erat anima purissimae virginis et quotidie mens eius cum gudio gloriam dabat propter duo * quae haud unienda videbantur: virginalia integra et infantem dilectum. Benedictus qui ortus est ex ea.

3. Columba tenera portat aquilam annosam; eam portat et decantat eius laudes blandis cantilenis: o fili ditissime, qui in nido parvo voluisti enutririri, o cithara laudum quae, ut infans, taces, iube ut tibi psallam cum cithara quae melodia sua cherubim comovet, iube ut de te dicam.

4. Locus tuus, fili mi, ceteris altior est, et quia voluisti fecisti me tibi locum. Coeli pro tua maiestate angustiores sunt et paupercula portat te. Veniat Ezechiel et videat te super genua mea, prostratusque adoret ac agnoscat te illum esse quem vidi in throno currui cherubim imposito et beatam me dicat propter eum quem porto.

5. Obstupuit in me currus Ezechielis quum ductorem suum a me portatum contemplaretur. Ecce cherubim cum tremore clamant: « Benedicta maiestas tua e loco tuo ». Ecce in me est locus tuus et sinus meus tuum est habitaculum. Commoraris super genua mea et thronus maiestatis tuae brachiis meis sustentatur; digitii mei rotae sunt currus tui. Clamabo cum cherubim: Benedictus es e loco tuo.

^{La}
^{II, 546} 6. Isaias propheta proclamavit: * *Ecce virgo concipiet et pariet.*¹ 374
Veni, contemplare me et laetare nobiscum. Ecce ego sigillo clausa peperi, o propheta Spiritus revelationibus dives, vide Emmanuelem tibi olim absconditum, et magna tua voce increpa Sionem meretrem, quae verba tua sprevit et credere noluit me in virginitate mea paritaram, ut tu testaris.

7. Venite ad me, o sapientes, o rationales Spiritus praecones, prophetae qui occulta vidistis in veracibus vestris visionibus, agricultae qui seminastis et in spe dormivistis, surgite, exultate, visis messis fructibus, ecce in ulnis meis spica vitae quae panem dat esuriensibus et satiat egentes, gaudete tecum, quia suscepimus manipulum gaudiorum.

^{II, 546} VIII, 1. Venite, beatam dicamus Mariam, pauperculam virgi- 375

¹ Isa. VII, 14.

nem quam ditavit filius regis. Magna est eius beatitudo et reduplicata memoria, omnesque populi eius laudes multiplicant. Maria dixit: *Beatam me dicent omnes generationes*,¹ propter eum quem genui. Ipse vicissim beatam eam praedicabo, quia ipsa invitavit me, et ei, o sapientes, * hoc debitum persolvendum est.

*548

2. Vere beata est quae electa fuit ut mater fieret Genitoris omnium et lac praeverberet omnium alitori. Benedictus omnium liberator qui in ea habitavit. Beata quae mundo fons facta est omnia fundens bona. Ex illa orta est lux mundi; beatam eam praedicent quantum satis est.

3. Beata quae concepit absque viro et laete prolem suscepit absque semine; beata quae dolores maritatarum haud experta exultavit in fructu matrum. Minus est os meum ut beatitudinem eius praedicet. Beatissima quippe in omnibus admirabilis est, signacula enim servavit intemeratae castitatis et prolem habuit partus dolores removentem.

4. Beata virgo cuius felicitates ita adauctae sunt, ut omnes populi ditarentur per eius partum, et omnes gentes ederent e fructu vitae ex ea orto, quin ille deficeret. Beata quae a viro in coniugio cognita non fuit et per natum suum delevit adamitici generis maledictionem.

376 IX, 1. Beata es Maria, filia pauperum, quia effecta es mater Domini * regum, et sancte in sinu tuo habitavit ille cuius laudibus pleni sunt coeli. Beatum pectus tuum quod cum ardentis amore eum lactavit; beatum os tuum quod eius desiderio captum ei blanditum est; beata brachia tua quae eum amplexa sunt. Currus fuisti et Igneum gestasti.

La
II, 548
*550

2. Beata es Maria, quia sinus tuus palatium fuit regis, et ad te divertit qui coronam neicit principibus et gradus praebet dominatibus. E tribu Iudei origo tua, et e domo David prosapia tua. Genius tuum illustre est, quae virgo manens effecta es mater filio David.

3. Beata es, o puella, quia portasti catulum leonis de quo scripsit Iacob.² Ille humiliavit semetipsum et suxit tuum purum lac, quo enutritus est atque ex ove virgine agnus factus est, ut in aram crucis offeretur ad nos salvandos. Tui figura erat arbor quae dedit arietem quo liberatus est Isaac.³

377 4. Beata es, o benedicta, quia per te soluta et a foeminis ablata est maledictio Hevae, et per te solutum est commune debitum chi-

La
II, 550¹ Lc. I, 48.² Gen. XLIX, 9.³ Gen. XXII, 13.

rographo serpentis in omnes generationes obsignatum. Tu enim peperisti thesaurum qui omnia auxilia mundo largitus est. In te orta est lux, qua tenebrae earumque potestas dissipatae fuere, ita ut amplius non sint.

*552 * 5. Beata es Maria, quia natus tuus apparuit super currum prorsus mirandum, unde rationales spiritus omnes ei dabant benedictiones et cherubim motu suo tonantes cum tremore eum laudabant. Beata es, quia amplexa es tuum natum eumque ut mater amavisti et ut angeli adoravisti.

6. Beata es, mater beatissima, quia omnes generationes alta voce prorsus beatam te dicunt propter infantem ex te natum; insulae, tribus, populi omnes beatam te proclamant. Beata es, casta virgo, quia tecum et in te habitat beatitudo coelestis.

^{La}
^{II,} 552 X. 1. Sinas me, Domine, fide dicere generationem tuam. *Admirabilis, Deus.*¹ Vere enim Admirabilis es, nec enim admiratio potest attingere illum quem propheta appellavit Admirabilem. Admirabilis es plenusque miraculo, quod miraculum * totum est admirabile. Admirabilis est conceptio tua, admirabilis est nativitas tua, admirabilis es totus, admirabilis es et incomprehensibilis.

378

2. Per te incipiam et spe tua confisus absolvam, o infinite Deus; aperiam os meum incipiens ab humilitate tua, imple illud, Domine, e thesauris tuis; ego sum ager, tu vero agricola; insere vocem tuam voci viri inanis, qui seminasti te in purissima virgine, natus es absque fluxu, effulsisti e Patre et factus es e Maria, quae absque semine dedit fructum.

3. Maria inclinata peperit gigantem saeculorum, gigantem robustissimum, in essentia Patris absconditum, in divinitate occultatum. [...]

^{La}
^{II,} 556 5. Ecce in Patre tuo es, et in Maria, in curru cherubim, et in praesepio et in omni loco. In Patre es verissime, et in matre certissime et in curru coelesti, et in praesepe vili, ubique es quia creator es, in omnibus es quia plasmator es. Tu es ille qui ex Patre est, et tu es ille qui ex Matre est, tu es ille qui unus est, tu es ille qui venit et venturus est.

379

*558 7. Commota sunt a te agmina ardentia Michaelis, o Deus puer! Cherubim currui iuneti et animalia * et rationales spiritus te ferre non possunt, o Fili Omnipotentis. Ecce autem sinus virginis obiectum est tuae dignationis et terminus quem voluit tua humilitas. Tu es infinitus, tu idem circumscriptus fuisti; nullus tibi terminus, o mare misericordiarum nullis limitibus circumscriptum.

^{La}
^{II,} 558 10. Filius Patris, filius es Mariae, et unum es Verbum Dei, su-

380

¹ Isa. IX, 6.

pernaturaliter e matre, naturaliter e Patre, extraordinarie e Iordane
 * natum; e flumine, e matre et e Patre unus idemque es Puer Deus. *⁵⁶⁰
 Oracula sapientiae coacervata et abdita sunt in te, qui in praesepio
 recumbens lac suges virgineum e filia Davidis.

12. Similis Patri tuo, similis es matri tuae, cuinam similis es?
 Deus formam non habet, absque colore similis es Patri in virtute,
 in essentia, in natura, in potestate; similis es Mariae parenti,
 ex qua assumpsisti formam humanam. Ecce similis es Patri et si-
 milis matri, et tu ipse tibi similis es. O qui assumpsisti formam servi,
 tibi gloria.

381 17. Exultat mater tua, exultat Iosephus, exultas et tu, o agne ^{La II, 564}
 nostri paschatis (exultationis), exultat Maria, quia peperit te et
 osculatur te, catulum leonis,¹ quia voce tua conturbatus est vulpes
 ille, Herodes, rex protervus. Cessavit regnum eius, inchoato regno
 tuo; obtinuit autem regnum tuum, quia rex es, imo rex regum.

18. Plasmasti Adamum e pulvere et matrem tuam creasti et tu
 te ipsum formasti in mente tua. Quod enim in esse tuo (humano)
 naturale est, non venit a Patre tuo, quia talis est, Domine, tua na-
 tura [humana], pater eius non est Pater tuus. Voluntas enim tua
 formavit humanitatem tuam. In nativitate tua ex Patre non te
 formasti, quia non habes principium. In Maria autem formasti te,
 quia voluisti.

382 19. Stat Maria, mater tua, soror tua, sponsa tua, ancilla tua; ^{La II, 564}
 ipsa quippe inclinata peperit te, iam te amore fovit, amplexa est,
 osculata est, laudavit, oravit, gratias egit et lac dedit, ecce tenet
 te, blanditur tibi, ridet pueritiae tuae, tu vero, hilaris et exultans,
 lac suges; anceps * haeret parens tua, haeret nutrix tua, haeret crea- ^{*566}
 tura tua: per te, fili, recte dispone matrem tuam.

20. Magister matris, Deus matris, Domine matris, matre iunior
 et senior, quiesce, in admirationem me rapuisti; ecce affabilitas tua
 opprimit me; quis te aspicere possit quin gustet quam suavis es?
 Ecce exuviae tuae attonitos faciunt spectatores, et detectio tua in
 admirationem rapit disertos; ecce manus tuae fasciis involutae et
 pedes pulsantes, ecce totus amabilis es et os tuum balbutiens de
 tuo Patre.

383 XI, 1. Virgo filia David vocavit me hodie ad convivium cum ^{La II, 568}
 amore inscrutabili; venite, delectemur ad mensam eius, et laetemur
 cum ea, dicentes prolem quam ipsa peperit Deum esse.

2. Virgo filia David stat inter turbas, puerulum portans, cir-

¹ Gen. XLIX, 9.

cumstant disputatores; unus disputat de ea, alter scrutatur eum.
Sigillo virgineo munita est et integra.

^{La}
^{II,} 568 3. Portat natum, et remanet eius virginitas; portat virginalia **384**
integra, et lac matrum praebet. Quis poterit, quis valebit, quis
audebit perscrutari?

4. Portat puerulum in sinu suo, et signa virginitatis servat.
Quid dicere potest qui eam intuetur, nisi dicat: *Ecce admirabilis*,
ut dixit Isaias?

^{*570} 5. Inelytus Isaias appellavit puerum * *Deum fortē* et appellavit
eum *Admirabilem*, propter miraculosam eius nativitatem; nemo
igitur appellat eum nisi *Admirabilem*.

6. Ingressus est per aurem et secreto uterum inhabitavit, e
ventre porro exiens, non solvit sigilla virginalia, sicut nec solvit
exeundo sigilla sepulchri.

7. Maria gestavit eum in utero novem mensibus; dum lac su-
geret, ipse pluviae guttas e coelo dimittebat; miro hoc prodigo
frangatur arrogantia abnegatorum.

^{La}
^{II,} 570 8. Similis erat Mariae sinus illi maritatarum et matrum et pro-
blem gestabat, nullo habito congressu; taceas, o impudens, timeas,
o disputator, admiratione raptus in puellam. **385**

^{La}
^{II,} 572 10. Quis est et cuius filius ille qui natus est ex virgine? Deus **386**
est de Deo vero, superne Deus, deorsum homo, anathema illi qui
eum scrutatur.

11. Illi quem Maria portavit hymnum cantate, populi omnesque
gentes, portat enim ipse coelum; ei benedicunt formidolosi Cheru-
bim, eum Seraphim ter sanctum proclamat.

^{La}
^{II,} 574 XII, 1. Quis non miretur nativitatem tuam gloriosissimam? **387**
Absque congressu conceptus et absque difficultate natus, in coelis
absque matre es, et in terra absque patre; tua nativitas sub quo-
cumque respectu prorsus admirabilis est. Etenim sigillis non solutis,
et virginibus non destructis, ubera virginis plena sunt lacte quo
ipsa nutrit omnium Alitorem.

2. Quis in vitibus intus sculpsit uvas absque dolabra et digito
artificis? Quomodo vites concipiunt vinum absque patre? Figuram
filii sustinentes stant ac concipiunt, servato sigillo et absque ru-
ptura foecundantur. Hoc ad confusionem sufficit impiorum.

^{La}
^{II,} 574 3. In monte Horeb petra typum tuum, o virgo, designavit; et-
enim parturivit non excavata et praebuit potum castris Israelita-
rum, quae siti languebant ac moriebantur. Umbra tua attigit pe-
tram eamque foecundavit; quia ex te ortae sunt aquae coelestes,
quarum potu sitim suam extinxit mundus per gratiam. **388**

^{La}
^{II,} 574 4. In utero carneo thalamus dispositus erat, in quo recumbens **389**

requiescebat sponsus coelestis; virginalia * diligent custodia servabant portas. Quando autem sponsus gloriosus exire voluit, virginalia somno oppressa reliquit, ita ut non sentirent eius egressum. Interea Vigiles cum angelis laudes decantabant.

5. *Beatam me dicent omnes generationes*,¹ ait cum exultatione Maria; quia facta sum per gratiam Mater Dei et absque congressu peperi agnum Dei angelorumque Dominum, ut dixit mihi angelus qui nuntium attulit.

390 XIII, 1. Virgo plane admirabilis quae peperisti nobis Filium ^{La}
^{II, 576} Dei, incapax est os meum ut digne loquatur de tua puritate.

2. Thesaurum omnibus beatitudinibus refertum vitamque suis possessoribus profundentem tribuisti nobis in virginitate tua. Quis valeat debitas rependere laudes?

3. Ortus est e te humiliter Altissimus, qui parvulum se fecit, ut homines exaltaret et ut honorarem ac magnificarem memoriam tuam hic in terra et superne in coelo.

4. Laetantur et exultant hodie coelum et terra et omnia quae in eis sunt et satagunt gloriam tuam canere laudesque celebrare.

* 5. Quadruplici sua facie Cherubim pares tibi sanctitate non ⁵⁷⁸ sunt, seraphim sex alis instructi decori pulchritudinis tuae cedunt.

6. Nec puritate pares tibi sunt legiones Angelorum coelestium, qui portant et cum pompa gestant pulchrum puerulum e sinu tuo egressum.

391 XV, 1. Currus ignis cum tremore portat Dominum, genua debilia portant eum et non comburuntur; angeli flammei cum metu gestant eum, filia autem David parvo suo sinu complectitur. Cherubim portant eum et contremiscunt, Seraphim * ter sanctum proclamat et timore corripiuntur, Maria autem amorose eum suo in pectore fovet.

2. Maria fidelis et benedicta inter mulieres e suis uberibus lac virgineum praebuit pueru; mira res, quis poterit dicere qualis sit? Virgo eum peperit et virginalia illaesa servavit; inclinata parturivit et virgo est, surgens lactavit eum et virgo permanet, mortua est et virginalia eius non fuerunt reserata.

392 3. Oriens cum suis astris figura fuit Mariae, e cuius sinu ortus est nobis Dominus astrorum. Ille sua nativitate tenebras e mundo fugavit et suis radiis dissitos illuminavit populos, qui assumpta munera ei attulerunt et in Bethlehemi praesepio obtulerunt, deinde, eo adorato, in regionem suam reversi sunt.

4. Hodie mundus resonet laudibus, omnesque uno ore ac lingua

¹ Lc. I, 48.

voces laudis et canticum glorificationis decantent; simul autem omnes gentes hymnum intonent: « Gloria in coelis Deo et in terra pax omni carni, quia natus est salvator mundo ».¹

^{La}
^{II, 584} 5. Hodie Ezechiel, visionibus celeber, gaudeat quia effectu completa est eius prophetia. In Babylonia portam vidi clausam et dixit: *Obsignata sit, quia Dominus ingredietur per eam.*² Maria est

^{*586} porta clausa; Christus per eam ingressus est in mundum, * nec illam aperuit. Taceant disputationes.

6. Mater quae eum peperit digna est memoria; sinus qui eum portavit dignus est benedictione; Ioseph etiam per gratiam pater appellatus est filii veritatis, cuius Pater est omnino laudandus. O pastor omnium creaturarum, qui missus est ad ovem perditam quae erraverat et ad caulas portavit et reduxit eam!

7. Ubi inveniet te, qui te quaerit? Ubi videbit te qui te amat? In coelo quaerat te in sinu Genitoris tui, aut in Ephrata, in praesepio Bethleemitico; si autem in sinu Mariae quaerat te, absconderis ibi servatus sub sigillo; prorsus et omnimode admirabilis est nativitas tua.

^{La}
^{II, 586} XVI, 1. Benedicta virgo angeli salutationem audivit, qua accepta concepit. Eadem salutatione discipuli in coenaculo recreati sunt. Salutatio tua sit murus pacis regibus et sacerdotibus in oppidis eorum. Filios Ecclesiae serva per * tuam crucem ut hosannis laudent nomen tuum.

^{La}
^{II, 588} 2. Beata, es Maria, quia in te habitavit Spiritus sanctus quem cecinit David; beata es quae digna fuisti ut a Gabriele salutationem Patris acciperes. Beata quae effecta es velut currus Filio Dei; eum genua tua sustentarunt, brachia tua gestarunt, ubera tua velut fontes ei fuerunt; infantem flammis vestitum amplexa es.

^{La}
^{II, 588} 3. Beata es, Maria, quia figuravit te rubus a Moyse visus: beata es Maria, quae fuisti infanti tuo velut velum quo Moyses operiebat splendorem vultus sui; beata es, Maria, quia ex te ortus est unicus radius, qui occultavit solem. Iste radius iampridem super Moysen in vertice montis irradiavit, et hodie radios suos porrigit in omnes terrae fines.

^{La}
^{II, 588} 4. Beata es, Maria, quia omnes prophetae in libris suis te depinxerunt: beata es, Maria, quia Isaias in suo vaticinio te annuntiavit: *Ecce virgo concipiet et pariet filium cuius nomen Emmanuel.*³ Ecce omnes gentes clamant: « Nobiscum est ille qui sua voluntate omnia dirigit ».

¹ Lc. II, 14.

² Ezech. XLIV, 2.

³ Isa. VII, 14.

5. Beata es, Maria, quia in tua virginitate appellata es nova mater; beata es, Maria, quia designata fuisti sub figura terrae quae Adamum produxit et parens effecta es * Domini Adami... Ecce Verbum habitavit in utero tuo purissimo et intra viscera tua formam sibi confecit.

6. Beata es, Maria, quia mater effecta es gloriosissima Domini regum: ex te ortus est fructus ille desideratus et gloriosus, qui omnibus virtutibus plenus est. Beata es, beatitudo quippe tua inclaruit in urbibus et congregationibus, quia peperisti Christum Salvatorem mundi, qui gratia sua creaturas salvavit.

398 7. Dum essem infans, educarunt me sacerdotes populi in templo sancto, quum adolescentula effecta sum despontarunt me iusto Ioseph.¹ Vir autem igneus venit ad me afferens nuntium meque salutavit; eius salutatione accepta, concepi et abiens peperi in praesepio Bethleemii infantulum qui sua nativitate gaudium attulit universo mundo.

399 XVII, 1. Virtus Patris, quae, amore urgente, habitasti in sinu virgineo, * da mihi verba facere de magna tua et incomprehensibili generatione.

2. Fili ditissime, qui amore voluisti habitare in utero pauperulae, da mihi vocem et sermonem ut cum admiratione loquar de te.

400 XVIII, 1. Excita, o cithara mea, modulos tuos in laudem Mariæ virginis, eleva vocem tuam et psalle generationem prorsus admirabilem huius virginis, Davidis filiae, quae vitam mundo peperit.

401 2. Amans miratur eam et scrutator pudore suffunditur eiusque os obturatur ne audeat perscrutari matrem, quae, virginalibus integris, peperit. Res explicatu altissima est. Disputatores non audeant de Filio eius inquirere.

3. Concavat puer execrabilem serpentem, et confregit caput aspidis, atque sanavit Hevam a veneno in eam projecto per draconem homicidam, qui fraude sua eam detruserat in infernum.

4. Sicut mons Sina accepi te, nec ab igne tuo formidando combussa sum, quia tu occultasti me ab igne tuo ut non noceret mihi; non combussit me flamma tua quam intueri Seraphim non possunt.

5. Adam secundus appellatus est ille cuius nomen est ab antiquo, quia habitavit in filia Davidis et in ea absque semine et doloribus factus est homo. Benedictum nomen eius.

402 6. Gabriel, quum missus est, * paraverat in ea mansionem Dominum suo; in hac mansione Dominus univit stirpem hominum pusillorum et humilium cum stirpe Dei, omnes passiones excedente.

¹ Hic S. Ephraem significat de *apocrypho* Iacobi.

*590

La II, 590

La II, 590
*592

La II, 606

La II, 606

La II, 606
*608

7. Ipsa Maria rogavit edoceri de conceptione eius ab angelo eam annuntiante, quia nova in aure sua dicta audiverat; sed corripuit eam Gabriel, ne ipsa defatigaretur in investigando filio.

8. *Quomodo fiet istud quoniam virum nunquam cognosco?*¹ Conceptionem cum virginitate consistere difficile est; hoc natura nostra non cognoscit, nec ulli unquam feminae ostensum fuit.

9. Putabat virgo filium per viam fetus in uterum venisse et quaerebat eum in via naturae consueta; at ille sua nativitate viam definit; ingressus est uterum, virginalibus non solutis.

^{La}
^{II,} 608 10. Veritate sibi revelata credidit Maria se concepisse; Filius reliquit antiquam nativitatis viam et per novam viam, quam nec natura nec mens noverant, descendit in eam. 403

11. Per infantem Mariae benedicta est illa mater quae maledicta fuerat; benedictiones usque in intima eius penetrarunt per infantem qui occidit mortem et satanam, a quibus Adam in servitatem redactus fuerat atque in terram prostratus.

*610 12. In sinu Mariae infans factus est qui ab aeterno aequalis est Patri. * Communicavit nobis magnitudinem suam et acquisivit infirmitatem nostram; factus est nobiscum mortalis, ut, infusa nobis eius vita, non amplius moriamur. 404

^{La}
^{II,} 610 14. In formatione prioris Adae coniugium et partus requisita haud fuere, quia Deus, assumpto pulvere in pugillo suo, solus plasmavit Adamum, atque in eo ostendit virtutem et sapientiam suam. 404

15. Patet eadem ratione Verbum incarnatum esse de Maria virgine et in mysterio adventus eius nullum apparuisse coniugium; ipse quippe, prout voluit, corpus assumpsit, incarnatus est et venit in mundum.

^{La}
^{II,} 610 16. Maria hortus est in quam imber benedictionum a Patre descendit: ipsa ex illo imbre aspersit faciem Adami, et revixit atque a sepulchro surrexit ille qui a suis inimicis sepultus fuerat in inferno. 405

^{La}
^{II,} 610 18. De hominum salute doctrina benedicta semper sollicita fuit; nunc loquitur de mysterio virginis purissimae quae peperit in carne * Deum: venite, populi, miremur sermonem eius. 406

19. Anima admiratione plena virgo attonita de suo infante loquebatur, voce discreta, motibus spiritualibus, cantilenis amorem spirantibus, canticisque suavibus dicens:

20. Ecce virgo facta est mater, servata virginitate et sigillis non solutis, gestat in utero foetum, integris virginalibus, et facta est Dei mater ac famula opusque eius sapientiae.

^{La}
^{II,} 612 21. Virgo, quae Unigenitum peperit, Deum et hominem enutri- 407

¹ Le. I, 34.

vit et mater facta est pueruli absconditi, qui ex Patre natus est perfectus et infans factus est in utero illius.

22. Arbor vitae, quae in medio paradisi olim creverat, non dedit homini fructum qui eum vivificaret, sed, in sinu Mariae exorta, dedit semetipsam homini eique vitam praebuit.

408 23. Verbum Domini ex altissimis se dimisit, descendit in puel-^{La}
lam atque in ea habitavit; ipsa concepit illud ac peperit. Altum est II, 612
purissimae virginis mysterium et omnium loquentium excedit ora.

409 24. Heva in Eden rea facta est; magnum debiti chirographum,^{La}
quo posteri eius in generationibus suis morte plecterentur serpens,
scriptor perversus, scripsit, signavit ac fraudis suaे sigillo munivit.
II, 612

25. Vedit draco antiquus fraude sua multiplicatum Hevae delici-
tum; * puella fuit quae fraudem raptoris sui amavit, diabolo obtem-
peravit et hominem gradu suo deiecit. *614

26. Heva peccati rea facta est et Mariae reservatum est debi-
tum, ut filia solveret debita matris suaе et laceraret chirographum
quod suos gemitus transmiserat in omnes generationes.

27. Maria ignem in manibus portabat et flammam brachiis
amplexabatur; flammae ubera sugenda praebebat et omnium ali-
tori lac dabat. Quis poterit de ea sermonem habere?

28. Homines terreni multiplicarunt maledictiones et spinas ter-
ram opprimentes, atque in eam introduxerunt mortem vastatri-
cem; Filius autem Mariae vita et pace totum replevit orbem.

29. Homines terreni introduxerunt morbos et dolores in mun-
dum portamque morti aperuerunt, ut ingrederetur et calcaret eum;
Filius autem Mariae portavit in persona sua dolores mundi ut eum
salvaret.

410 30. Quum Maria virginalia integra servaret, ut benedicta regio
Eden antequam arva sulcis proscinderentur, germinavit e sinu eius
arbor vitae quae gustu suo, id est sua misericordia, animas vivi-
ficavit. La
II, 614

31. Mirae huius rei explicationem in tuis cogitationibus non
quaeras, o miser, nec frustra incedas in via naturae; filius quippe,
per viam naturae absconditam, ingressus habitavit in utero clauso.

411 32. Maria hominem non ita concepit, * ut natura ingressum in-
fantis sensu apprehenderet; etenim usque in uterum ignis erat et
spiritus, in utero matris suaе homo factus est, remanens Deus per-
fectus. La
II, 614
*616

33. Gabriel non hominem qui venisset in mundum nuntiabat;
etenim Deus-Verbum misit eum ad Mariam, ut pararet ei mansio-
nem, in qua habitaret et nihil laesus carnem assumeret.

412 34. Nihil quippe necesse erat ut conceptus iste admirabilis con-^{La}
II, 616

iugio perageretur; nam ipse creator hominis habitavit in puella et suae personae corpus et membra effecit sicut Dominus omnipotens.

35. Quis vidit eum generantem? Ipse elegit sibi matrem eum parituram, cui prius suum adventum atque in ea inhabitationem nuntio significavit; dum illa cogitaret de conceptu eius, ipse ingressus habitavit in utero et illa nihil sensit.

36. Maria igitur accepit infantem omni intellectu excelsiorem, et edocta est ab angelo, non coniugio, sed Spiritu sancto et virtute superna puerulum in sinu suo formatum esse.

^{La}
^{II,} 616 37. Maria fons est purissimus, cui, nihil immixtum est unquam 413
e fluxu coniugii; ipsa in sinu suo recepit flumen vitae, quod suis aquis irrigavit mundum omnesque defunctos vivificavit.

38. Sanctuarium purum, in quo commoratus est Deus, gigas saeculorum, in quo peractum est magno prodigo mysterium quo Deus factus est homo, et homo a Patre appellatus est filius.

*618 39. * 40. Maria vitis est quae apparuit in stirpe benedicta Davidis; propagines eius produxerunt botrum sanguine vivifico plenum; bibit Adam de vino illo et resuscitatus redit in Eden.

41. Vitula amabilis quae in pecoribus Abrahæ benedicti præmonstrata est, absque imposito sibi coniugii iugo peperit Deum, qui suo amore factus est homo ut nos salvaret.

^{La}
^{II,} 618 42. Non intervenit congressus coniugii quum Adam et Heva 414
creati sunt, nec necesse fuit ut apud Dominum appareret, quia Deus creavit Adamum et idem ipse factus est homo in fine temporum.

43. Praecepisti aquis et terrae, et produxerunt res quas formasti in eis; hoc observarunt impii et nullam quaestionem posuerunt, dum e contra suum intellectum acount ut perserutentur nativitatem tuam incomprehensibilem.

44. Audite benedictiones eius a Cherubim in curru, et blandimenta matris virginis; in curru appetet vehemens eius maiestas, apud Mariam eius amor; Cherubim benedicunt eum tremore; puella, quia mater est, amat.

*620 45. Verbum vitae in habitaculum defunctorum a tua maiestate mittatur et dicat Hevae in sepulchro * iacenti: «Filia tua, virginibus integris, peperit puerum qui soluturus est tuum debitum».

^{La}
^{II,} 620 46. Altissimus erat in pueræ visceribus, dum ipsa nesciret illum 415
in ventre suo moveri; sigilla posita erant super sinum eius, et ipse iam in utero degebat; illa expectabat quandonam venturus esset, et ipse iam ingressus integer erat in utero eius.

47. Antiquus dierum cum sua celsitate habitavit, ut infans, in

utero. Ignis habitavit in ventre carnis; ille qui est ab aeterno initium sumpsit per conceptionem.

- 416** 48. Gloria infanti qui matrem suam prius in utero formavit, et, ^{La II, *620} ad eam postea rediens, factus est infans ipsa iunior; qui matre sua senior erat, iunior ipsa factus est, quia voluit.
 49. Laus Mari sapientiae, quod, in sinum virginis ingressum, ibi habitavit. Dum coeli et terra plena sunt maiestate eius, continuit eum uterus filiae David, et puella parva amplexata est eum in sinu suo.
- 417** 50. Duae matres visae sunt quae pepererunt pueros dissimiles, ^{La II, *620} una peperit hominem qui ipsam maledictione affecit, et Maria peperit Deum qui mundum replet benedictione.
 51. Benedicta tu, Maria, filia Davidis, et benedictus fructus quem dedisti nobis. Benedictus Pater qui misit Filium suum ad salutem nostram, et benedictus Spiritus Paraclitus qui docuit nos mysterium eius. Benedictum nomen eius.
- 418** * 1. Cum admiratione contemplatus sum Mariam lactantem tribuum alitorem, qui infans factus est. In ventre puellae habitavit qui replet mundum.
 2. Filia pauperum mater facta est Ditissimi quem amor coëgit. Ignis est in sinu virginis, et virgo flamma eius non comburitur.
 3. Carbo accensus amplexus est Mariam; ipsa eum gestans non est laesa. Flamma corpus induit et manibus Mariae versata est.
 4. Sol magnus sua contractione se condidit in nube lucida. Puella mater facta est eius qui genuit hominem et mundum.
 5. Portabat puerum, blandiebatur, amplexabatur, blandis vocibus gratulabatur, adorabatque dicens: « Iube mihi, magister mi, amplexer te.
 6. « Quandoquidem Filius meus es, meis cantilenis blandiar tibi; quae mater tua effecta sum, honorabo te. Fili mi, quem peperi, senior me es; Domine mi, quem portavi, sustines me.
 * 7. « Mens mea tuo timore perturbatur, collige sensus meos, ut ^{*624} laudem te. Miror te, quomodo siles, quum tonitrua vocum in te occultentur.
 8. « Ut infans e me ortus es, et ut gigas roborascis; *Admirabilis* es, sicut te appellavit Isaias, de te vaticinatus.
- 419** 9. « Ecce totus apud me es, et in Genitore tuo totus absconderis. ^{La II, *624} Omnes coeli altitudines tua maiestate plenae sunt, et sinus meus pro te angustior non est.
 10. « Habitaculum tuum est in me simul et in coelis. Cum coelis laudabo te. Coelicolae me admirantur beatissimamque praedicant.
 11. « Coelum sustineat me suis amplexibus, quia prae illo hono-

rata sum. Etenim coelum non fuit tibi mater; sed illud effecisti thronum tuum.

12. « Quam honorabilior et venerabilior mater regis throno eius! Gratias tibi agam, Domine, quia voluisti ut fierem mater tua; blandis canticis te celebrabo.

13. « O gigas qui terram sustines et voluisti ut ipsa te portaret, tibi laus. O dives qui filius factus es filiae pauperis, tibi gloria.

14. « Omnibus antiquior, qui descendisti ad me, infans factus, tibi meum “ Magnificat ”. Sedes super genua mea, et super te suspensa * sunt summa et ima totusque mundus.

*626 15. « Arripis ubera mea, et regis terram, maria et omnia quae in eis sunt. Ecce currus tuus in coelis est, et ego porto te in me manentem.

16. « Dum apud me es, omnes coetus angelorum te adorant. Dum brachiis meis amplexatus detineris, a Cherubim gestaris.

17. « Coeli superni tua maiestate pleni sunt, sinus filiae terrestris portat te. Inter coelites habitas in igne, et terrestres non comburis.

18. « Seraphim ter sanctum te proclamat; quomodo, Domine, tibi gratuler? Cherubim cum tremore tibi benedicunt, et cantibus meis honoraris?

^{La}
^{II, 626} 19. « Audiat nunc et veniat ad me Heva, antiqua nostra mater; exaltetur eius caput quod sub ignominia horti inclinatum fuit. 420

20. « Discooperiat faciem suam et gratuletur tibi, quia eius confusionem abstulisti; audiat vocem pacis perfectae, quia eius filia eius debitum solvit.

21. « Serpens, illius seductor, contritus est per te, sureculum qui e sinu meo ortus est. Cherubim et gladius per te remoti sunt, ut redeat Adamus in paradisum unde expulsus est.

*628 22. « Heva et Adam ad te configuant et fructum vitae e me decerpant, * per te dulces fiant fauces eorum, quas fructus vetitus amaras reddiderat.

23. « Servi expulsi per te ingrediantur, ut rursus obtineant beneficia quibus spoliati fuerunt. Vestis gloriae ipsis fias ad tegendam eorum nuditatem ».

^{La}
^{II, 628} XX, 1. Virgo purissima invitavit me hodie ad dicendum de ea. Venite, iuvenes nuptiarum, delectamini convivio spirituali quod invitatis virgo paravit. 421

*630 2. Ortus est e matre ipsi gratissima * radius qui illuminat mundum; postquam illapsus est, exivit ex ea creaturasque salvavit. Sua nativitate fugavit umbras et sua epiphania dissipavit tenebras.

3. Portavit Maria infantem qui sua sapientia genuit Adamum.

Lacte eius nutritus est, sinu confotus, brachiis portatus qui suo nutu sustinet mundum.

422 * 29. Senex sapiens qui in templo puerum in ulnis suis portabat, ^{La II, *638} considerabat eum, et sciens illum esse antiquum dierum, depreca- batur ut eius misericordia ab hac vita dimitteretur.

30. Filius Iesse appellavit eum puerum, quia eum sub forma pueri aspiciebat. In prima nativitate Patre iunior non est, at quia venit ad nativitatem secundam, David vocavit eum puerum, utpote ex Maria natum.

31. Audivit Maria orationem senis Spiritu acti, et exultans atque ad eum accedens, dixit: « Loquere, senex grandaeve, dulcis est ut mel sermo tuus.

32. « Eleva vocem tuam, o senex, ut matres creatae audiant et sis prece tua testis virginitati meae, quod absque congressu coniugii natus est Bonus, ut salvaret mundum.

33. « Eleva vocem tuam, mitissime, et constringe chordas ci- tharae tuae ad psallendum et cantu tuo * suavi consolare tristitiam ^{*640} meam, quia filii populi mei illudunt mihi, cantu tuo compesce osores meos.

34. « Iucunda est vox tuae deprecationis, loquere ut creaturae audiant et sis testis verax, natum esse, servata virginitate, illum qui e coelo descendit ut salvaret mundum ».

35. Quam suave erat colloquium puellae et senis venerabilis, verbis suis res novas testantium! Sciebant quis esset ille parvulus et cuius Filius, et narrabant misericordem eius generationem.

36. Ager benedictus dedit manipulum omnium gaudiorum pro- ventusque et fruges absque agricolis. Portat Simeon in ulnis suis benedictiones easque mundo porrigit.

37. Uterque gloriatur in illo fructu quem peperit virgo: puella quae peperit eum et senex qui prosiliit in occursum eius. Coelum et terra laetati sunt in Mediatore qui pacificavit mundum.

38. Templum et sanctuarium, gaudete in hoc Domino sacerdo- tum qui obtulit oblationes et suscepit preces. Cum Iosepho portabat victimas et cum hyssopo suo purificabat mundum.

39. Simeon botrum vitae e vite virginali decerptum portavit in ulnis suis eumque attulit cum benedictionibus in domum propitia- tionis, totaque sancta domus gavisa est in illo parvulo qui a Patre missus est.

* 40. Virgo exultavit quod eum peperisset et senex quod eius ma- ^{*642}

● La II, 146, 432, 438, 452, 454, 490, 492, 494, 516, 520, 522, 562, 578, 582, 594, 596, 598, 600, 602, 604, 628, 630, 632, 634, 636.

nifestatione e vita dimitteretur. Altare, quod parvulus cum oblatione visitavit, eum desideravit. Coelum et terra et omnia quae in eis sunt glorificant eum quia per eius nativitatem laetitia perfusi sunt.

HYMNI DE INSTAURATIONE ECCLESIAE

De Annuntiatione Deiparae

- ^{La}
^{III, 970} III, 1. Pater scripserat epistolam per manum angeli eamque in Nazareth misit ad virginem Mariam, quam elegit et in qua sibi complacuit, ut illa fieret mater Unigenito suo descendenti ad salvandum mundum. 423
2. E legionibus ardentibus, e myriadibus coram Deo adstantibus, e choris igneis, ex ordinibus flammeis missus est Gabriel ad virginem ut conceptum ei nuntiaret.
- ⁹⁷² 5. Pax tecum, filia hominis, quia electa es ut sis habitatio Domino maiestatis, qui e coelo descendit ut visitet profunda terrae et reducat hominem in paradisum.
6. *Pax tibi, gratia plena, Dominus tecum*,¹ palatum Excelsi, quia in te habitat rex et in te oritur lux et e te exit in mundum gigas qui mundum salvat.
- ^{*974} 10. *Dixit Maria ad angelum*:² «Explica mihi, o ignee, verbum tuum, facies tua decora est, vestes * tuae flammæ sunt, ignem evomit os tuum; quis potest tecum loqui?»
13. «Quomodo conceptus absque viro? Quomodo pariet virgo? Quis vidit unquam prolem absque semine? Explica haec quae disti quomodo possunt fieri?»
14. Respondit angelus: «*Spiritus sanctus veniet in te*³ et sanctificabit uterum tuum, et illabens habitabit in te virtus Altissimi et orietur e sinu tuo Dives qui redimet debita mundi».
- ^{La}
^{III, 974} IV, 1. Adam, suadente serpente, iustitiae divinae debitorem se constituit, et delicti poena in omnes generationes transmissa est. Angelus et puella sese ordinaverunt, locuti sunt, audierunt et debitum solverunt. 424
- ^{*976} 2. Serpens litem excitavit inter * Adamum et Deum in horto; servus prostratus est, sed exitio superfuit; misericors eius dominus voluit reconciliare filium irae eumque exaltare.
3. Deus constituit intercessores angelum et puellam ut suis ver-

¹ Lc. I, 28.

² Lc. I, 30.

³ Lc. I, 35.

bis rem converterent, reconciliatio fieret inter supernos et infimos atque chirographum debitorum dilaceraretur.

5. Mysterium concreditum est duobus, uni ex utraque parte, nempe e supernis uni angelo, ex infimis uni virginis, ut rem tractarent et reconciliationem inirent.

7. Surgens Maria suscepit legatum ex alto missum eiusque verba auscultavit et ipsa cum eo locuta est; per angelum condonatio facta est tribubus et populis.

8. Ex infimis nullus vir constitutus est, ut solveret debitum, sed e mulieribus una adolescentula audivit, locuta est, se disposuit novae rei et inclaruit in mundo.

425 * 9. Pro serpente surrexit Gabriel et pro Heva Maria virgo. In ^{La} III, *978 prima actione vir locutus non fuerat, et idecirco vir non est constitutus ut debitum solveret.

10. Heva debitrix facta est Deo; ipsa auscultavit consilium serpentis; infans unius diei sprevit mandatum; idecirco per puellam salus mundo missa est.

11. Gabriel per verba sua ad Mariam solvit sermonem, quem execrabilis homicida ad Hevam virginem habuerat; Heva scripsit chirographum debiti, et virgo solvit debitum.

13. Gabriel medius stetit inter mysterium Patris et virginem Mariam; inter unum e supernis et unam de infimis facta est conventionio de pace, qua infimi supernis uniti sunt.

14. Filia, gratia plena, pro matre sua bello restitit; Heva ceciderat, eam restituit Maria, et spes facta est exulibus eos reconciliatos in Eden reddituros.

V, 1. Heva in Eden scripsit magnum debiti chirographum, quo ⁹⁸⁰ eius posteri transmitterent mortem in omnes generationes; serpens librum perversum scripsit, obsignavit et sigillo fraudis munivit.

21. Virgo Adami recepit Mendacem a quo decepta est, eum ⁹⁸⁶ praepostere audivit, stulte credidit Adamumque nudavit per amarum horti fructum.

22. Surgens Maria, Davidis filia, accepit pacem ab angelo et texuit stolam gloriae vestemque suam dedit ad operiendam nuditatem Adae et stetit sponsus cum decore in thalamo suo.

23. Duae fuerunt virgines, sed harum duarum actio valde diversa fuit: una prostravit virum suum, altera fulcivit patrem suum. Per Hevam homo invenit sepulchrum; per Mariam in coelum vocatus est.

24. Duo legati missi sunt in mundum ad Evam et Mariam: Satanus et angelus, serpens et Gabriel, et in nuntio horum duorum mors et vita inventae sunt.

*988 * 25. Sapiens horti plantator duas in Eden arbores plantavit; in una suspendit mortem, in altera abscondit vitam, et adduxit Adamum in agonem, ut e certamine coronam reportaret.

26. Imposuit ei legem ne manducaret e fructu scientiae quo delectabatur, quia in eo mors latebat; serpens et Heva, inito inter se consilio, in certamine virum in peccatum induxerunt.

27. In ramo virginis Mariae Deus illapsus suspendit fructum quem in Eden non gustaverant, e Maria eum decerpserunt, quia fructus roborans comedores ex amore super eos decidit.

28. Amore flagrabat arbor a suis comedoribus in Eden diligita. Ut confunderet serpentem qui eos spoliaverat, in zelo suo secuta est comedores, ut illi in suo loco eum manducarent.

29. Concupiscentia et superbia in arbore scientiae latebant, virgo fructum absque concupiscentia concepit, ut concupiscentia lethalis generis humani per eam in aeternum deleretur.

30. Eden Dei Maria est, in ea nec arbor scientiae, nec serpens qui nocet, nec Heva quae occidit, sed ex ea oritur arbor vitae quae reducit exiles in Eden.

31. Arbor vitae, quam cherub et gladius flammæ servant, ecce residet in purissima virgine quam custodit Ioseph; iudei conviciis

*990 * puellam prosequuntur, putantes Iosephum huiusc arboris patrem esse.

32. Custos gladium suum reposuit, quia fructus quem custodiebat ex altissimis missus est in terram ad lapsos. Mortales eum manducarunt et eo vitam adepti sunt. Benedictus fructus quem peperit Maria virgo.

HYMNI DE ECCLESIA ET VIRGINITATE

^{La}
^{IV,} 568 XXV, 2. Beata es, o mulier, quia Dominus tuus discipulo sibi simili te commendavit atque dedit: filius sinus tui non defraudavit

426

*570 amorem * tuum, quippe qui filio sinus sui te commendavit ac dedit. Cum parvulus esset eum in sinu tuo fovisti, ipse etiam in sinu suo discipulum fovit et cruci affixus ad eum oculos convertit, ut tibi redderet quae ei commodavera et amorem nutricis sui retribueret.

3. Crucis affixus solvit debita... Quod tibi debitum erat, ab ipso etiam solutum est. Suxit e mamilla tua lac visible et ex eius pectora fluunt mysteria invisibilia: cum fiducia accedebat ad mamillam tuam; discipulus cum fiducia accessit et cecidit in pectus eius; quia

● La III, 238, 980, 982, 984, 986.

Dominum audire desiderasti dedit te eitharedae suo qui te consolaretur.

11. Ioseph ac Ioannes honorarunt sinum matris tuae velut in ⁵⁷² mysterio; tabernaculum temporale figura erat tabernaculi in quo habitavit Emmanuel. Utrumque tabernaculum nos arguit et reprimit, ne parvi pendamus Deum in suo sanctuario. Quam terribilis est inquisitio, qua mensurare velimus incommensurabilem illum Altissimum.

14. Beata es, Maria, quia nomen tuum magnum est et exaltatum propter natum tuum; potuisti dicere: ubi, quando et quomodo habitavit in te Maximus parvus effectus. Beatum os tuum quod confessum est et non negavit; beata lingua tua quae glorificavit et non scrutata est. Mater eius mente commovebatur dum eum portabat. Quis illius capax foret? ⁵⁷⁴

HYMNI DISPERSI

427 IX, 3. Uni e coelestibus commisit rem magnitudinis suaee; ille ^{La}
nihil sensibile ferens, volans descendit in terram illudque in aurem
costae Adae insinuavit: Pax tibi, filia Hevae infirmae, per te ape-
rietur porta vitae mortalibus, ut sub morte subiugati manumissionem accipient.

4. Pacem et gratiam angelus verbo suo condivit et filiae homini-
nis potandum dedit pharmacum vitae * ut sanaret membra corporis ^{*714}
atque animas. Vox vocem ad silentium rediget; vox ad Hevam facta
in aure eius mortem seminavit, vox ad Mariam directa eradicavit
propaginem mortis.

428 XI, 6. *In principio erat Verbum,¹ utique absque corpore, texuit* ^{La}
autem sibi corpus ut illud indueret; Filius Unigenitus absque cor-
pore descenderat; Verbum ingressum erat per aurem et habitavit
in * utero, et dum in utero delitescebat, desuper in coelis habitabat. ^{*720}

CARMINA NISIBENA

429 Carmen XXVII, 8. [...] Revera quidem Tu et mater tua, vos soli ^{Bi}
¹²²
* estis, qui omni ex parte omnino pulchri sint. In te enim, Domine, non ^{*123}
est labes, nec ulla in matre tua macula.

¹ Io. I, 1.

• La IV, 438, 538, 568, 578, 624, 714, 732, 748, 752.

HYMNI DE VIRGINITATE

Ra 67 **XXIII**, Hymnus XI, 5. Maria stans in Nazareth terra sitienti 430
conceptit ex auditu Dominum.

Ra 70 **XXIV**, 11. Felix es, o palatum:¹ palatum es quidem regis, 431
tuaque porta inaccessibilis est mortalibus. In te inhabitat gloriosus
rex, cuius amor sicuti murus est tuae excellentiae. Tuus sinus aufu-
git a doloribus maledictionis: per serpentem intrarunt dolores mu-
lieris. Confundatur erubescens satanas immundus videns mala quae
is attulerat nequaquam in tuo sinu inveniri.

S. BASILIUS Magnus (ca 330 †379)

HOMILIAE IN HEXAEMERON

PG 29, 180 Homilia VIII, 6. [...] Τοῦτο μοι ἔχε παρασεσημειωμένον ἐκ τῆς
περὶ τοὺς ὄρνιθας ἴστορίας, ἵν', ἐπειδάν ποτε ἥδης γελῶντάς τινας τὸ μυστή-
ριον ἡμῶν, ὡς ἀδυνάτου ὄντος καὶ ἔξω τῆς φύσεως, παρθένον τεκεῖν, τῆς
παρθενίας αὐτῆς φυλαττομένης ἀχράντου, ἐνθυμηθῆσ, δότι ὁ εὐδοκήσας ἐν τῇ
μωρίᾳ τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας, μυρίας ἐκ τῆς φύσεως ἀφορ-
μὰς πρὸς τὴν πίστιν τῶν παραδόξων προλαβῶν κατεβάλετο.

COMMENTARIUM IN ISAIAM PROPHETAM³

PG 30, 464 Cap. VI, 201. «'Ιδού ἡ Παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν, 433

PG 29, 179 Homilia VIII, 6. [...] Id velim notatum et observatum ex ali-
tum historia: ut si quando nonnullos videris mysterium nostrum
irridere, quasi fieri nequeat, et quasi sit a natura alienum, ut virgo,
virginitate eius intemerata permanente, pepererit, veniat in men-
tem tibi, Deum, cui per praedicationis stultitiam credentes salvos
facere libuit,² innumera incitamenta, ab ipsa natura desumpta, ad
fidem rebus stupendis conciliandam in antecessum proposuisse.

PG 30, 463 Cap. VI, 201. *Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium,* et 433

¹ Agitur de S. Maria Deipara.

● Ra 20, 66, 75, 89, 92, 93, 106, 107.

² I Cor. I, 21.

³ De huius operis authenticitate dissentient inter se viri docti (cf. *Annotationes Monachorum Caventoniensium in Tomum PG 30, a. 1960*) (cf. Al, 302; Bar, II, 54).